



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephvs hoc est, Sanctissimi Educatoris Christi Dom.
Deiq. nostri in Terris apparentis, ac Æternæ Virginis
Mariæ Sponsi Vitæ Historia**

Stengel, Carl

Monaci, MDCXVI.

Cap. VIII. D. Iosephus Magorum adorationi adest, ijsq[ue] colloquitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42004

D. Iosephus Magorum adorationi ad-
est, usq; colloquitur.

CAPVT VIII.

*Cypr ser.
de stella &
Magis.
Magorum
aduentus.*

*Ammon.
harm. ex-
ang.*

*Vtrum Io-
sephus præ-
sens.*

Nato in Bethlehem Salvatore (ver-
ba S. Cypriani refero) audita
est in Ephrata, eius in terris presentia,
& usq; ad Sylvas, camposq; gentium,
noua huius natiuitatis est fama porre-
cta: in Iudæa in pastoribus, & Ange-
lis, primò sunt hæc gaudia celebrata,
nec multò post Arabum fines huius
rei notitia penetravit, & incolis Saba
præclari stella luminis celestis numinis
splendoribus indicauit. Ipsi itaq; Ma-
gi (ait Ammonius Alexadrinus)
tertio decimo die Ierosolymam, nouâ
quadam stellâ duce venientes, Regem
Iudæorum prædicant natum, ac com-
municato cum Herode principe, & scri-
bis consilio, in Bethlehem inuentum
adorant, ac venerantur muneribus.

An verò Iosephus tum adfue-
rit, dubium est apud Doctores,
propter

propter verba Euangelistæ, quibus ait: *inuenerunt puerum cum* Matth. 2

Maria matre eius: & non dixit cum

Ioseph. Id enim ob triplicem rationem dixisse arbitror, (inquit *Carthago tom. 1. lib. 6.*

P. Carthagena) Prima, nam ut a *hom. 2.*

it doctissimus Rabanus, diuino *Rab. in 2. c. Matth.*

consilio factum est, quod abesset

tunc Ioseph, ne aliqua prauæ sus-

spicionis occasio daretur genti-

bus, communi generationis ra-

tionem hunc paruulum progeni-

tum fuisse: ex Sibyllinis namque

libris constare poterat eis, ex in-

tactâ Virgine Christum nascitu-

rum. Verum quia difficilè mihi

creditum est, Iosephum ibi non

adfuisse, congruentius dici pos-

se existimo, consultò Euangeli-

stam solam commemorasse Ma-

riam adesse cum IESV, ut signifi-

caret, recens natum puerum ma-

trēm solam habere in terris, pa-

trēm verò non nisi in cælis: vel

K 3 tandem

tandem cum Maria dicit inuen-
 tum fuisse puerum à Magis, ut
 omnium Christi mysteriorum
 sociam, ac indiuiduam comitem
 semper Mariam extitisse osten-
 deret. Si enim rem altius cõtem-
 pleretur: si prædestinatus est Je-
 sus ab æterno, sed non absque
 Maria: si concipitur in tempore
 in Nazareth, sed non nisi in Ma-
 ria conceptioni assensum, & vi-
 scera præstare. Nascitur in Beth-
 lehem, sed non nisi ex Maria
 Virgine. Si adoratur à militiâ
 cælestis exercitus, sed in brachiis
 Mariæ, quæ infantem lactabat,
 atque fouebat. Si inuenitur à
 pastoribus, & inuisitur à Magis,
 semper tamen adest Maria, quæ
conseruabat omnia verba, conferens in
corde suo. Si præsentatur in tem-
 plo, at non sine Mariâ illum of-
 ferente. Si proficiscitur in Ægy-
 ptum impij Herodis crudelita-
 tem

Luc. 1.

Luc. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Matth. 2.

Luc. 2.

Ibid.

Matth. 2.

tem fugiens, tunc in Marię vlnis
 gestatur. Si in nuptijs Canæ Ga- *Ioan. 2.*
 lilææ primum edit miraculum,
 sed certè postulante Mariâ illud
 produxit. Si ascendit in tem- *It. 19.*
 plum, Maria illū associat: quod
 sicūm à templo reuersus est, ab
 ea discessit, sed confestim Maria
 adest, illum inter Doctores de
 rebus diuinis differentem inue- *Luc. 2.*
 niens. Cum etiam Christus pen-
 det in cruce, prima adest Maria
 iuxta crucem velut immobilis
 columna. Si deponitur de cru- *Ioan. 19.*
 ce, adest Maria, in gremio suo di-
 lectum Filium suscipiens. Si se- *Luc. 23.*
 pelitur in sepulchro nouo, quod
 excisum fuerat de petrâ, adest
 Maria, quæ pariter cum Iosepho
 ab Arimathæa sindone illum in-
 uoluit. Si resurgit ex tumulo,
 continuò gloriosus primò appa-
 ret Mariæ. Si ascendit in cælum, *Act. 1. c. 2.*
 in conspectu Mariæ eleuatur. Si

in cænaculo existentibus Apo-
stolis diuinum spiritū super eos
mittit, ibi adest Maria, quæ ma-
ioribus diuinæ gratiæ charisma-
tibus præ omnibus donata fuit.
Et si Filius sedet ad dexteram Pa-
tris, secum confidere fecit & ma-
trem velut cæli Reginam, in ve-
stitu deaurato, circumdatam va-
rietate. Ac tandem si IESVS spe-
ratur venturus ad iudicandum
vivos & mortuos, quis non con-
templetur eius lateri ad futuram
esse Mariam?

*Did. lib. 1.
con. 2. de
Epiphan.
Psal. 34.*

S. Iosephum Magorum ad-
uentui præsentem fuisse, sentit
etiam R. P. Didacus de Yanguas,
explicans illud psalmi: *Confitebor
tibi in Ecclesia magna, in populo graui
laudabo te.* In hac ergo sacra Chri-
sti Epiphaniâ, & manifestatione,
Ecclesia magna non alia fuit,
quàm illa parua, quæ fundari cæ-
pit in Bethlehem: sed verè ma-
gna,

gna, quia prima Ecclesia Christi
 fuit, & principium, & matrix
 omnium Ecclesiarum. Populus
 grauis fuit Maria Virgo, & san-
 ctus Ioseph, eâ grauitate sancti-
 tatis, & integritate perfectionis,
 quod non erat similis illis in vni-
 uersa terra. In his ergo grauibus
 cognouerunt pastores, & Reges,
 puerum illū paruulum, esse Dei
 filium in assumpta carne, & Re-
 gem cæli & terræ, quem quære-
 bant, vt adorarent. Videntes e-
 nim grauitatem Virginis, purita-
 tem, & sanctitatem incredibili-
 lem, simulq; castitatem, & reli-
 gionem sanctissimi Ioseph, in
 ipso splendore vultuum, & sua-
 uissimo odore virtutum, & in-
 comparabili modestiâ, & maie-
 state eorum, qui comitabantur
 puerum IESVM, cognouerunt
 per fidem, & diuinam reuelati-
 onem, quod ille erat Deus, &

K § Rex

Luc. 2.

Rex, & Saluator, quem quærebant. De pastoribus dicitur. *Inuenerunt Mariã & Ioseph, & infantem positum in præsepio; & videntes, cognouerunt, &c.* Profectò non solum videntes puerum, cognouerunt ipsum esse Deum, sed etiam videntes singularem sanctitatem Virginis, & maximam grauitatem sponsi eius. In istis grauibus cognouerunt, Deum esse in illo paruulo. De Regibus si-

Matth. 2.

militer dicitur in Euangelio: Inuenerunt puerum cum Mariã matre eius: & procidentes adorauerunt eum. Non solum in maiestate diuini pueri, sed etiam in splendore sanctitatis purissimæ Matris, ac sanctissimi sponsi eius Ioseph (qui absque dubio tunc etiam præsens aderat) cognouerunt maiestatem Dei in illo puero, & credentes, ac procidentes, adorauerunt, pretiosaque munera illi obtulerunt, S. Bo-

S. Bonaventura contempla- *S. Bonav.*
 tur S. Iosephum ex diuinâ dif- *lib. Med.*
 pensatione abfuisse, vt Magi ni- *Vit. Chri.*
 hil in hoc partu suspicarentur *ss.*
 carnale. Demum superuenisse,
 & Regibus obuiam decenti cum
 obseruantia processisse. Quæ hîc
 mirabilia, qui complexus, quæ
 colloquia fuerint instituta, faci-
 lius est cogitare, quàm verbis ex-
 primere. Vero consentaneum
 tamen est, Reges ei narrasse tum
 de stellâ, quam in Oriente vide-
 rant, cuius ductu Hierosolymâ
 vsque peruenissent; tum quæ si-
 bi illic cum Herode accidissent.
 Simul verò sanctitatem, quæ in
 ipsâ Virgine emicabat, locique,
 in quo manebat vilitatem, vehe-
 menter suspicientes, ad omne
 obsequiorum genus se promp-
 tissimos obtulisse. Sed verisimi-
 le est omnes istas consolationes
 breuissimo tempore perdurasse,
 ingru-

ingruebat namq; citò nimis hora discessus eorum, postquam nimirum admoniti ab Angelo, de versutia & fraudibus Herodis, & de viâ, quam in reditu tenere deberent, consolatione pleni regrederetur ad patriam. Porò S. Iosephum id responsi ab Angelo accepisse, & inde magis insinuasse, videtur innuere P.

Iosephum
Magos de
viâ monu-
isse-

Carthag.
tom. 2. l. 4.
hom. 9.

Carthagera, dum ita scribit: *Revera Ioseph Archangeli munus perfectissime exercuit, cum tribus Regibus Magis, ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam iter suum facerent ex diuino, quod acceperat, oraculo, eis nunciavit, ut satis indicant verba Matthæi. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.*

Iosephus Mariam cum IESV infantulo, legis obseruanda gratiâ Ierosolymam deducit.

CAP.